

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

ANALOGIA
ENTIS

Quam

Favente Deo ter Opt. Max.

sub

Præsidio

DN. M. IOHANNIS STRVBORGH

Philosophiæ Professoris in Collegio
Rigenſium.

Publico examini ſubmittit

PETRUS WEYER

Riga Livonus
Respondens.

Anno ſalutis


1635.

Addiẽm 30. Aprilis loco & horis
conſuetis.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

RIGÆ LIVONUM,

Typis GERHARDI Schröder.



*Magnifico, Nobilissimo, Consultissimo
& Prudentissimo viro*

DN. IOHANNI VLRICI,
 Hæreditario in *Rutgell & Rechenwalt* / Regiæ Majestatis
 Sueciæ consiliario Aulico fidelissimo, Dicasterij Dorpatensis
 vice Præsidenti vigilantissimo, Consuli Rigens: meritissimo, Ever-
 getæ suo plurimum venerando.

vi &

Honestissimo & integerrimo viro

JOACHIMO Weyer /

Civi Rigens: spectato Parenti suo in æternum filiali
 observantia colendo.

*In signum debite gratitudinis hanc disputationem
 officiose dedicat*

Author & Respondens.

THE-



THESIS I.

Vm non levis sit difficultatis, sed magnæ utilita-
 tis tractatio entis analogica; imo eo gravior, quo vide-
 tur inexplicatior & magna vocum contentione reddita
 confusior: constitui, tum ob difficultatem superandâ,
 tum ob utilitatem manifestandâ, hanc materiam & seorsim &
 conjunctim breviter, cum in privatis exercitijs satis cumulate de
 ea egerimus, disquisitioni publicæ subjicere.

2.

Analogia Græcis dicitur proportio; ab alijs vocatur simili-
 tudo; ab alijs convenientia. Proportio simpliciter accepta varijs
 modis usurpatur. Nos significationes ad nostrum propositum
 non spectantes nihil morando, prout nostro inservit instituto vo-
 cem analogiæ usurpamus pro eo, quod habitudinem vel propor-
 tionem aliquorum inter se significat.

3.

Hæc analogia demum duobus modis considerari potest.
 1. Ad unum; quatenus ea, quæ convenientiam inter se habent, ad
 unum scopum referuntur. 2. ab uno, prout derivantur quasi ex
 uno principio.

4.

In hac utraq; consideratione analogiæ, cum attributio quæ-
 dam intercedat, utraq; ad analogiam attributionis refertur. Hanc
 quoq; ad quadruplex genus causæ reduci posse, rationi non est in-
 congruum asseverare, licet omnibus non eadem competant ha-
 bitudine.

5. Porro

37 33

5.

Porro analogia attributionis est vel intrinseca; vel extrinseca. Intrinseca, in qua ratio essentialis analogi per nomen significata participatur essentialiter & intrinsece ab omnibus inferioribus analogatis. Extrinseca est, in qua ratio essentialis per nomen significata in uno inferiori essentialiter, in alijs vero extrinsece reperitur.

6.

In illis analogis, quæ extrinseca denominatione participant naturam analogi, min⁹ præcipuum per majus describi, ratio postulat. Si enim descriptio quodammodo explicet rei naturam, & omnia analogata minus præcipua habeant habitudinem ad illud, quod est magis præcipuum; certe minus præcipuum per habitudinem ad illud, quod fuerit magis præcipuum, erit explicandum. Neq; obesse existimamus, quod his analogis tot descriptiones sint assignandæ, quot membra analogata vel partes, quæ ipsam analogiam distribuunt.

7.

Quæstio hic insignis à multis controversa oritur, num terminus ille, in quem membra analogata referuntur, sit unus vel multiplex? R. Absolute loquendo non est unicus terminus, sive non est una ratio in omnibus analogis. Sumpta vero analogia in particulari, unicus datur terminus, à quo membra dicuntur talia.

8.

Præter analogiam attributionis, datur quoq; analogia proportionis; secundum alios proportionalitatis, quæ aliquam inter significata proportionem servat. Hæc vicissim est duplex, vel intrinseca & essentialis, in qua ratio per nomen significata est essentialiter in omnibus analogatis.

9.

In his analogis unum non describitur per alterum, nec una ratio absolute in omnib⁹ illis invenitur, sed tot, quot membra, in quæ

quæ ipsum est distributum. Ex eo vero minime sequi arbitramur, ejusmodi analogia non posse significare unum conceptum secundum proportionalitatem; cujus respectu tum à synonymis, tum ab homonymis differunt.

10.

Extrinseca est, in qua ratio per nomen designata reperitur in uno inferiori analogato essentialiter, in alijs vero extrinsece, quæ ratio extrinseca per quandam translationem explicatur.

11.

Alij addunt tertium genus analogiæ, nimirum analogiam inæqualitatis, in qua ratio essentialis est essentialiter in omnibus inferioribus, at non ex æquo in omnibus reperitur. Hæc analogia ab alijs vocatur analogia physica; verum hanc à choro analogiæ logice & metaphysice consideratæ rejicimus.

12.

Nonnulli Logici & Metaphysici, ut subtiliores videantur, partiuntur analogiam: 1. Secundum intentionem & non secundum esse: 2. Secundum esse & non secundum intentionem: 3. Secundum intentionem simul & secundum esse: Verum cum prior jam sit usu recepta, de hac in sequentibus nobis erit sermo.

13.

Divisio hæc analogiæ non est mera enumeratio vocis ambiguae, ut nonnulli existimant: neq; alicujus naturæ, quæ sit una in suis inferioribus absolute & simpliciter: sed est naturæ diversæ & ejusdem secundum habitudinem & analogiam.

14.

Nomen entis hoc in loco in late patente usurpamus significatu, prout suo ambitu ens rei & rationis, ens infinitum & finitum, substantiam & accidens complectitur: In horum entium imprimis habitudine evolvenda, assertio præsens est instituta.

15.

Quæritur itaq; i. num ens in habitudine ad ens rei & rationis sit pure homonymum? Hæc quæstio cum anceps & dubia sit, acriter à Phi-

à Philosophis controvertitur. Sunt nonnulli in signes Philosophi & quidē viri gravissimi, imprimis Soncinas 4. *Metaphys.* quæst. 5. & 10. reliquos, ne authoritatibus pugnare videar, sicco pede prætereo: qui firmiter statuit ens pure esse homonymum ad ens rei & rationis, quam opinionem Scotistæ in maximo pretio & veneratione habent: verum cum perquam difficile sit aliquid certi super hac re statuere, & authores ancipiti sententiarum pugna in varias partes agitentur; asserimus nihilominus pro innata libertate, & verioribus moti rationibus, ens non dici pure homonyme de ente rei & rationis, rationes in conflictu erūt in propatulo.

16.

Hic nobis de ente rationis sermo esset istituendus, nisi morem tempori gerere, & crambem toties coctam denuo reponere videremur, (quippe disputatio publica de illo est habita;) interim sciendum per ens rationis hoc in loco non intelligendum esse illud, quod est in intellectu subjective; neq; verbum mentis; multo minus merum animi figmentum, sed illud, quod consequitur rem & habet esse objective in intellectu, cum illius natura tam ex habitudine ad inferiora, quam ex habitudine ad intellectum sit petenda.

17.

Quæritur 2. num ens respectu entis infiniti & finiti; item in ordine ad substantiam & accidens sit pure homonymum? Inficiamur idipsū, quia diversitas licet intercedat inter hæc analogia, tamen illa coercetur per habitudinem vel proportionem.

18.

Cum ens non sit pure homonymum respectu suorum inferiorum; æquum erit, ut explicemus, sitne synonymum respectu suorum inferiorum recensitorum?

19.

Hanc opinionem multi itidem graves Philosophi tuentur, scilicet ens esse synonymum ad finitum & infinitum; ad substantiam & accidens: hanc vero suam mentem ut explicent, triplicem distinguunt synonymiam, unam Logicam, alteram Physicam, tertiam Methaphysicam.

Opposi-

20.

Oppositam nos sententiam, ens scilicet non esse synonymum respectu Dei & creaturarum, substantiæ & accidentis, ut veritati magis consonam sequimur. Relictis nunc à tergo Præstantissimis Philosophis in doctrina Aristotelica versatissimis, cum exemplis & authoritatibus semper pugnare sit indiscreti ingenij teste nonnemine, illam rationibus ex Aristotele 2. cap. de Antepredicamentis desumptis hoc pacto probatam damus: Tria esse imprimis necessaria, ut natura aliqua synonymice dicatur; 1. ut sit nomen commune; 2. ut sit ratio una præcisa & communis; 3. ut ex æquo suis inferioribus insit. Ex his fundamentis tanquam verissimis facile erit veritatem elicere, ut discurrenti patebit.

21.

Infertur itaq; ex ijs ens non dici synonyme de ente rei & rationis: neq; de ente finito & infinito: neq; de substantia & accidente.

22.

Quoad ens respectu rei & rationis, patet: quia in tali entis respectu reperitur quidem nomen commune; sed res significata & ratio essentialis sub nomine communi non est eadem, ut consideranti accurate est notissimum.

23.

Quoad ens infinitum & finitum reclamat diversitas prædicationis: de quibusdam n. natura entis in concreto, de quibusdam in abstracto prædicatur, quæ diversitas prædicationis synonymam rationem excludit.

24.

Quoad substantiam & accidens, cum ens non uno sed multis modis de categorijs dicatur, cumq; per prius & posterius de suis inferioribus prædicetur. Quid his objectionibus hoc loco reponendum, scilicet in omni genere debere constitui unum aliquid, quod sit mensura cæterorum: inter species alicujus generis debere constitui ordinem aliquem essentialem; unde cum inter ea,

quæ

quæ sunt ordinata essentialiter, quædam priora esse debeant, quædam posteriora, inter species ejusdem generis quasdam esse priores, quasdam posteriores. His objectionibus, cum parvi sint ponderis, nihil hac vice reponimus.

25.

Dum dicim⁹ ens non esse synonymum ad infinitum & finitum, substantiam & accidens, eo ipso quoq; asseveramus, illud non esse synonymum ad inferiora ut vocant mediata; quippe ens sive conferatur cum immediatis sive mediatis, non totaliter suamet vim & naturam immutat: Nec valet replica, quod ens in animali, in equo & cæteris secundum rem sit idem, eademq; prædicatio ipsi competat, quæ animali respectu suorum inferiorum. Hæc, cum imparitatem exhibeant, corrumpit argumentum.

26.

Cum itaq; ens nec pure homonyme de enterei & rationis, nec synonymice de ente finito & infinito, de substantia & accidente dicatur, sequitur, ut falsis aliorum opinionibus rejectis veram sententiam proponamus. Proinde asserimus, ens ad hæc omnia recensita subire naturam analogam: verum cum non fati sit scire, ens respectu suorum inferiorum obtinere naturam analogam, sed opus quoq; indigitare, quo analogiæ genere ens de illis dicatur, ut itaq; dilucide rem aperiamus, sequentibus asser-tionibus res manifestabitur.

27.

Ens in respectu ad ens rei & rationis aliquo modo tam ad analogiam attributionis, quam proportionalitatis revocari posse existimamus: Quoad analogiam attributionis ex eo patet, quod ens rationis sit intelligibile per ens rei: Quoad analogiam proportionalitatis; quia inter utramq; intercedit quædam proportio ratione essendi; ita ut ens rei suum habet esse; ita & ens rationis suum per quandam proportionem.

28.

Quod spectet ad ens finitum & infinitum, sententiam illam ample-

amplectimur, quæ asserit utrumq; genus analogiæ ipsis competere. Esse analogum secundum proportionalitatem, quia & finitum & infinitum suum sibi vendicant esse: Nam & Deus & creaturæ suum esse habent, imo creaturas formaliter & secundum essentiam esse entia nemo it infitias. Esse quoq; analogum attributionis respectu finiti & infiniti propter participationem, quæ inter illa intercedit, intelligere est. Diligenter hoc in loco animadvertendum, cum attributio sit habitudo vel duorum ad unum tertium; vel plurium ad unum tertium: vel unius ad alterum, ens esse analogum respectu finiti & infiniti per attributionem unius ad alterum, non duorum vel plurium ad unum tertium.

29.

Quod spectat ad substantiam & accidens, ens itidem obtinere naturam analogi respectu inferiorum, ex præcedentibus sufficienter liquet. Verum controversia adhuc restat, quo genere analogiæ ens dicatur de substantia & accidente, num uno, num utroq;? In hac re maxime dissident viri graves.

30.

Nos utrumq; genus analogiæ enti respectu substantiæ & accidentis competere asserimus. Esse inter illa analogiam attributionis; quia reperitur in ijs aliquid superius, quod ordine quodam de suis inferioribus effertur, ita, ut dicatur de uno per habitudinem ad alterum; Substantia n. & accidens referuntur ad unam naturam entis, quæ magis in substantia, quam accidente relucet, & per attributionem ad substantiam accidentibus comunicatur.

31.

Esse demum analogiam secundum proportionalitatem, propter utrumq; esse, quod sibi membra vendicant; imo ipsa entitas tam in conceptu substantiæ, quam accidentium secundum essentiam est inclusa.

32.

Quid sentiendum forte aliquis quærit de perdifficili & obscura quæstione, num scilicet in ente reperiatur unus aliquis con-

B

ceptus

ceptus, tum formalis tum objectivus, distinctus ac præcisus realiter à conceptibus suorum inferiorum: vel num eo modo, quo conceptus generis est separatus à conceptibus suarum specierum & in conceptu entis nimirum dari unum conceptum formalem & objectivum. Quoad formalem, quia conveniunt in una aliqua ratione habente unum formalem conceptum in mente. Quoad conceptum objectivum, illum quoque esse unum patet: quia conceptus formalis respondet conceptui objectivo; de ratione enim repræsentantis est, ut ita exprimat & repræsentet rem sicut est. Verum, cum analogata conveniant in una ratione, nimirum termino vel similitudine, habent quidem unum conceptum formalem communem, sed secundum quid; quia & conceptus objectivus analogorum non est unus simpliciter, siquidem ipsius inferiora non conveniunt in natura simpliciter una, sed in natura, quæ est una secundum terminum vel similitudinem, id est per attributionem vel proportionem, quod est unum secundum quid. Illum porro conceptum esse quidem distinctum à suis inferioribus, at non præcisum ab ijs realiter: neque conceptum generis esse eundem cum conceptu entis oblatum inter synonyma & analogata discrimen.

Corollaria,

1. Num Aristoteles excusari possit, quod dixerit 1. Essentias rerum esse æternas, 2. Essentias rerum consistere in indivisibili? Affirm.
2. Num absolute verum sit, omne Ens esse substantiam vel accidens? N.

Ingenue Docto Dno Respondenti.

IN Mare te Sophies Zephyris das, PETRE, secundis,
Struborgi navim dum regit apta manus.
Hoc Duce non scopuli, aut Siren sublesta timendis,
Struborgi navim diriget apta manus.
Exime te vulgo; ingenij Genijque; quod enthea spirat
Vis, placidus profer: palma parata tibi est.

L. Mq. f.

Johannes Gamper

Colleg. Schol. Rig.

Ad

Ad Doctis. Dn. Respondentem de abstrusa Entis
analogia disputantem.

Quid juvat innumeris Sophiæ impalescere curis,
Quid juvat effata illorum percurrere doctas,
Turba aliud jactat doctis infensa camœnis,
Nulli quod profint, nec sint de pane lucranda?
Ast aliter sentit Weyer, qui militat armis
Palladijs, & adhuc celso de ponte cathedræ
Sectarum causas, contortos solvere nodos
Tentat judicio, simul ac ostendere vires
Quid sophiæ valeant, dum nunc abscondita querit.
Perge igitur V Veyere tuis insistere cœptis,
Optime consuleris Tibi sic, sic vincula rumpes.

Perpetua recordationis E. amico
suo apposuit

NICOLAUS MANEKEN
Rig-Livon.

Petrus Weyerus Riga Livonius.

1. Verus Livo satu, puri Geni vires.
2. Lusu viges virtus oneri per via.
3. Diva generosi pulveris virtus.

Q Vando soli Geniale decus revirescit, & alium
Ad Majum properat Veris adultus honor:
Livo SATU, PURIque; GENI Petre, nobile verum
Erui, & VERUS conspicuusque; VIRES.
Quis neget, hoc rebus colludere tempus agendis,
Cum Petrus in cathedrâ vere virente viret?

Quod lux ingenij crebro splendescat ab usu,
Pensiculas animo, V Veyer amice, tuo;
Cum studio Sophiæ transnaturalis abijssus
Perspicis, & quid sit res, habitudo, doces

B 2

Grator

Grator ego. Docto sic Sapiencia Lusu,
Sic VIRTUS ONERI PERVIA ritè VIGES.

III.

Hoc :gitur pergas studio coluisse Minervam,
Et crebrò doctis prælia docta pares.
VIVA manet VIRTUS GENEROSI PULVERIS astu;
Huc animi vertas robur, Amice, tui.
Auram sacrati studijs spirare Favoni,
Auxiliumq; suum mittere Iova velit!

Interprete

T.

Johan. Brevero
Islebiensi.

Epigramma.

In laudem Dni Respondentis.

Mirum quid! de te VVeyere quid auribus hausi?
Tu plantulas Sophiæ per Urbem nunc serces?
Harum florescentes fructus ut subsecet omnis,
Frequentat hujus qui Palatium Scholæ
Laudo conatum, atq; Sophis si credere dignis
Placet, tuæ sunt plantulæ circumdata
His binis ramis, princeps, ENS nomen adeptus,
Alter BONVM, ille namq; semper cum ultimo
Vertuntur. Quarè de tota mente peropto,
Ut principis fructus at Entecum Sophos
Vergant, & noscas implexa volumina sirpi
Dissuere, vera falsis secernere probe.
Huncverò ramum subtili mente parato,
Et sic pius, justus, bonus vivere queas.

Hæc properando
apposuit

Joachimus Remmenkamp.
Riga Livonus.

FINIS.